

131.

Monumentum
Honoris et Memoriae

V I R O

Nobilissimo, Clarissimo et Doctissimo

D O M I N O

**M. MARTINO
BERTLEFFIO,**

Athenaei Thorunensis

Hactenus Philosophiae Professori

Celeberrimo,

Ann. MDCCXII. d. XIX. Ianuar,

Inter preces & pia vota praesentium placide mortuo,

et
D. XXV. eiusd. Mens.

In Templo Mariae honestissimis ceremoniis


Tumulando

positum

Ab

Athenaei Thorunensis

Superiorum trium ordinum Auditoribus.



THORUNII.

Impressit JOHAN, NICOLAI, NOBIL, SENAT, et GYMNAS, Typographi.

Viator!
Praefens dum perlustras Monumentum,
lege et iudica
quae sit
Generis humani conditio,
Fragilitatis est tessera,
Sortis cuiuscunque mancipium,
Quod ad arbitrium et nutum fatorum se convertit totum,
Quibus in terrigenas licet, quicquid libet.

Quare
Omni momento memento:
Nil habent mortalia firmum,
Nil constans, nil diurnum.
Cum ipse tessera fragilitatis fucus sis,
praefens intuitor humanae sortis speculum.

intelliges enim
Nil certius tibi contingere posse
quam quod accidit
Viro

Amplissimo, Clarissimo nec non Doctissimo,
Dn. M. MARTINO BERTLEFFIO,

qui
mortalitatem morte superavit,
Inconstantiam constantia vicit,
caducus esse desit, dum cecidit.

Quem reddidit, hausit spiritum
in antiqua Saxonum provincia,
Transylvania:

Parentum cura ad bonum publicum educatus,
feliciter inter literas adolevit,
ornamenta ab iis accepit,
& accepta reddidit,

Regiomonti, Dorpati & Thorunii,
ubi tandem
fatis concessit

Anno, quo

Est nostra et haeret Vita CaDVCa Marl,
D. XIX. Mens. Januar.

Q infaustas Nostratum Musarum vices, Cives!

Qui
crescente Numero Doctorum
plausibus decertabamus,

Decrescente iam planctibus immoramur.

Quid

Quid factu ergo opus est?

Dum

Pannoniae miserandas mirandasque vicissitudines
lacrymosi intuemur,

An largiores fundamus ab oculis undas?

Haud quaquam.

Martinus enim dum obiit, decessit,
sylvam latrociniis plenissimam evasit,
Innuentibus ipsifatis.

Nam ritus,

ut Numen immortale

imminentibus periculis anteverrat,

et

mortales in immortalitatem arcessat.

Abi Viator,

sed noli huius sepulcri dememinisse,

in quo

Bertleffium

cernis mortuum.

Nos tecta fovebimus ossa

Violis & fronde frequenti,

Titulumque & frigida saxa

Liquido spargemus odore

Lugentes & dolentes

Curiae Supremae Auditores.



Heu nunc, Bertleffum, Geniales plangite Musae
Doctrina gravidum et religione Virum.
Illum, Musarum Cultores plangite tristes,
Qui fuerat Clari portio magna chori.

plangite vos luctu querulo quicumque bonorum

In mundo vultis nomen habere Virum.

Est etenim iucundum extinctum Lumen in urbe,

Nostrae iam celebris flamma iubarque Scholae.

Quicquid Aristotelis docti solertia fudit,

Quicquid Socratici commemorare libri,

Quicquid divinus monstravit Iustinianus,

Ac charta docta, Triboniane, Tua,

Ingentes hos omnes suos convertit in usus

Ac sic excoluit mentem animumque suum.

Quaesita est per longinquas prudentia terras,

Ipsi oras multas visere cura fuit.

Forti

Forti observavit populi conamine mores
 Ac legit Gentis Jura, statuta, bona.
 Quo firmo didicit Respublica Jure regatur
 Ut possit patriam quisque iuvare suam.
 Ergo humectarent cur non pia flectibus ora
 Ac non obruerent flamina salsa genas.
 Frena tamen tristi non sunt laxanda dolori
 Nec lacrymis facies contemperanda nimis.
 Votis fraternis potius nos iure precamur
 A vigili ipsi sit certa labore quies.
 Nos quoque sinceri nimum ne flete sodales
 Nos etenim coget funebris urna sequi.

Ultimam hanc Pietatis refferam
 praestant

Primæ Curia Auditores.



Vix dum praterit sacrum ac optabile tempus,
 Cum strenas alius alii pro more dederunt,
 Et sunt ex animo felicia quaeque precati.
 Hac etiam sunt quo devotio nosira tetendit

Ante dies paucos reducis natalibus anni,
 Ut Praeceptorum vita contingeret usus
 Longior, & solido fruerentur membra vigore,
 Atque suo posset porro prodesse labore.
 Ast hanc spem nostram meror turbavit acerbus,
 Irrita & afflicti nunc vota fuisse videmus,
 Tentabatur enim Dominus Bertleffius acri
 Morbo, ut eum subito sublatum morte videres:
 Et prius in mortis quoque versaretur agone
 Quam contra morbum posset medicina parari.
 Nostram conquerimur iacturam mente dolente
 Fataque tam subito nostrum rapuisse Magistrum,
 Immemores eius nunquam fidei atque favoris.
 Interea noster quondam Praeceptor amatus
 Liber iis nunc est, alias quae ledere possunt,
 Humanas curas humanaque gaudia ridet,
 Vivit iam multos & plus quam Nestoris annos,
 Et sociatus Olympicolis in sede piorum
 Percipit inter eos dulcissima gaudia caeli.

Ita pietatis officium
 exequabantur

Auditores Secundæ Classis.